Werner, Julius
Quaestiones babrianae

Berliner Studien für classische Philologie und Archäologie.
Vierzehnter Band. Zweites Heft.

QUAESTIONES BABRIANAE.

SCRIPSIT

JULIUS WERNER.

BEROLINI 1892.

SUMPTIBUS S. CALVARII ET SOCIORUM.

BERLINER STUDIEN
FÜR
CLASSISCHE PHILOLOGIE UND ARCHAEOLOGIE.

Bisher erschienen:

Erster Band. X, 783 S. gr. 8. Preis 19 Mark.

Zweiter Band. XII, 490 S. gr. 8. Preis 17 Mark.

Inhalt: **Wilhelm Soltau**, Die Gültigkeit der Plebiscite (S. 1—176. Einzelpreis 7 M.). — **Hermannus Riccardus Grundmann**, Quid in elocutione Arriani Herodoto debeatur (S. 177—268. Einzelpreis 3 M.) — **Carolus Aemilius Illing**, De antidosi. (S. 269—307. Einzelpreis 1 M. 80 Pf.) — **Selmar Peine**, De ornamentis triumphalibus. (S. 309—397. Einzelpreis 3 M. 50 Pf.) — **Joannes Schmidt**, Ulixes Posthomericus. Particula prima. (S. 399—490 Einzelpreis 4 M. 50 Pf.)

Dritter Band. XXII, 436 S. gr. 8. Preis 12 Mark.

Inhalt: **Ludwig Stein**, Die Psychologie der Stoa. 1. Bd. Metaphysisch-anthropologischer Theil. (VIII, 216 S. Einzelpreis 7 M.) — **Wilhelm Kämpf**, De pronominum personalium usu et collocatione apud poetas scaenicos Romanorum. (II, 48 S. Einzelpreis 1 M. 60 Pf.)— **Wilhelm Pecz**, Die Tropendes Äschylus, Sophokles u. Euripides. (XII, 172 S. Einzelpr. 6 M. 80 Pf.

Vierter Band. XVIII, 322 S. gr. 8. Preis 10 Mark.

Inhalt: **Paulus Cassel**, Zoroaster, sein Name und seine Zeit. Eine iranische Glosse. (VIII, 24 S. Einzelpreis 1 M. 20 Pf.) — **M. Petschenig**, Flavii Cresconii Corippi Africani grammatici opera edita et explicata. (XVI, 268 S. Einzelpreis 9 M. 60 Pf.) — **Ernst Brey**, De Septem fabulae Aeschyleae stasimo altero. (IV, 30 S. Einzelpreis 1 M. 20 Pf.)

Fünfter Band. XVI, 687 S. gr. 8. Preis 18 Mark.

Inhalt: **P. Langen**, Plautinische Studien. (VIII, 400 S. Einzelpreis 13 M. —) **Th. Puschmann**, Nachträge zu Alexander Trallianus. (192 S. Einzelpreis 6 M. 60 P. —) **Emil August Junghahn**, Studien zu Thukydides. Neue Folge.(V, 95 S. Einzelpreis 3 M. 60 Pf.)

Sechster Band. VIII, 295 S. gr. 8. Preis 8 Mark.

Inhalt: **Armand Gasquy**, De Fabio Planciade Fulgentio, Virgilii interprete. (IV, 44 S. 1 M. 60 Pf.) — **W. Streit**, Zur Geschichte des zweiten punischen Krieges in Italien nach der Schlacht von Cannä. (IV, 57 S. Einzelpreis 2 M.) — **Hölzer**, Beiträge zu einer Theorie der lateinischen Semasiologie. (VIII, 194 S. Einzelpreis 6 M. 50 Pf.)

Siebenter Band. XXVIII, 562 S. gr. 8. Preis 14 Mark.

Inhalt: **Ludwig Stein**, Die Erkenntnistheorie der Stoa (zweiter Band der Psychologie). (VIII, 389 S. 12 M.) — **Karl Troost**, Des Aeneas Irrfahrt von Troja nach Karthago etc. Uebertragung des ersten und dritten Buches der Vergil'schen Aeneis in Oktaven nebst Einleitung. (XX, 80 S. Einzelpreis 3 M. 20 Pf.) Beiträge zur griechischen Geschichte. (92 S. Einzelpreis 2 M. 50 Pf.)

Achter Band. XIV, 198 S. gr. 8. Preis 6 Mark.

Inhalt: **Johannes Maisel**, Observationes in Cassium Dionem IV, 24 S. gr. S. Einzelpreis 1 M. 50 Pf. — **Alfredus Gudeman**, De Heroidum Ovidii Codice Planudeo. VI, 90 S. gr. 8. Einzelpreis 3 Mark. — **Otto Schultz**, Die Ortsgottheiten der griechischen und römischen Kunst. (IV, 84 S. gr. 8. Einzelpreis 3 Mark.)

Neunter Band. XX, 398 S. gr. 8. Preis 11 Mark 20 Pf.

Inhalt: **Valerianus de Schöffer**, De Deli insulae rebus. VIII. 244 S. gr. 8. Einzelpreis 8 M. — **Karl Troost**, Inhalt und Echtheit der Platonischen Dialoge auf Grund logischer Analyse. IV, 48 S. gr. 8. Einzelpreis 2 M. — **B. Heisterbergk**, Fragen der ältesten Geschichte Siciliens. VIII. 106 S. gr. 8. Einzelpreis 4 M.

Zehnter Band. VIII, 324 S. gr. 8. Preis 9 Mark.

Inhalt: **Cornelii Taciti de vita et moribus Julii Agricolae liber.** Ad fidem codicum ed. A. E. Schoene. IV, 48 S. gr. 8. Einzelpreis 2 M. — **G. Goerres**, Studien zur griechischen Mythologie, erste Folge, 248 S. gr. 8. Einzelpreis 8 M. — **Friederich Soltau**, Zur Erklärung der in Punischer Sprache gehaltenen Reden des Karthaginiensers Hanno im 5. Akt der Komödie Poenulus von Plautus. 32 S. gr. 8. Einzelpreis 1 M. 20 Pf.

Elfter Band. XII, 192 S. gr. 8. Preis 5 Mark 20 Pf.

Inhalt: **Otto Dingeldein**, Haben die Theatermasken der Alten die Stimme verstärkt? 48 S. gr. 8. Einzelpreis 1 M. 50 Pf. — **Maximiani elegiae.** Ad fidem codicis Etonensis rec. et emend. M. Petschenig. VI, 37 S. gr. 8. Einzelpreis 1 M. 50 Pf. — **J. V. Prásek**, Medien und das Haus des Kyaxares. 110 S. gr. 8. Einzelpreis 3 M. 50 Pf.

Zwölfter Band: 407 S. gr. 8. 10 M. 80 Pf.

Inhalt: **Gottfried Görres**, Studien zur griechischen Mythologie. Neue Folge Einzelpreis 9 Mark. — **E. v. Stern**, Das Hannibalische Truppenverzeichnis bei Livius (XXI, C. 22). Einzelpreis 1 Mk. 50 Pf. — **K. Troost**, Zenonis Citiensis de rebus physicis doctrinae fundamentum ex adjectis fragmentis constitutum. Einzelpreis 3 Mark.

Dreizehnter Band: XXII, 426 S. gr. 8. Preis 11 Mark 20 Pf.

Inhalt: **M. Freudenthal**, Die Psychologie des Philo von Alexandrien (IV, 77 S. Einzelpr. 2 M. 40 Pf.) — **P. R. Wagler**, Die Eiche im Volksglauben. 2. Theil. (IV, 128 S. Einzelpr. 4 M.) — **H. Blümner**, Die Farbenbezeichnungen bei den römischen Dichtern. (XII. 228 S. Einzelpr. 7 M. 50 Pf.)

Neu eintretenden Abonnenten werden die ersten zehn Bände (Ladenpreis 124 M.) mit **90 Mark** abgegeben.

BERLINER STUDIEN

FÜR

CLASSISCHE PHILOLOGIE UND ARCHAEOLOGIE.

VIERZEHNTER BAND.

ERSTES HEFT.

QUAESTIONES BABRIANAE

SCRIPSIT

JULIUS WERNER.

BERLIN 1892.

VERLAG VON S. CALVARY & CO.

QUAESTIONES BABRIANAE.

SCRIPSIT

JULIUS WERNER.

BEROLINI 1892.

SUMPTIBUS S. CALVARII ET SOCIORUM.

PA
3941
Z5W4
1892

LIBRARY
SEP 12 1966
UNIVERSITY OF TORONTO

1122157

Quaestiones Babrianae.

Constat Graecorum apologos antiquissimis temporibus non peculiaria fuisse carmina, sed partes tantum carminum, ut adversarii perstringerentur, a poetis lyricis adhibitas. Itaque haud mirandum est, quod post illud tempus non solum comoediarum sed etiam tragoediarum poetae multi erant in apologis fingendis. Fabellae autem quoniam perpetuo in hominum ore erant et aptissimae ad animos audientium delectandos ac captandos, factum est, ut placato homines carpendi studio, quod primo semper inerat in vetustis fabellis, frequentissime arriperentur ab oratoribus et sophistis ad homines admonendos et edocendos. Quare dum magis magisque et numerus et vires poetarum lyricorum deficiunt, paulatim apologorum usus ab oratoribus ita est auctus, ut iam Aristoteles de fabulis non in libris de arte poetica, sed de rhetorica[1]) conscriptis dissereret. Tunc autem αἶνος est narratio rei, quae evenisse aliquando fingitur ea mente, ut aut ad virtutem aut ad prudentiam fiat exhortatio, quod fabellarum genus utebatur sermone soluto praestantissime ab Aesopo, qui dicitur, excultum. Quod postea nonnullos Aesopi apologos a Socrate, cum esset in vinculis publicis, versibus inclusos esse ferunt[2]), iniudicatum relinquo. Demetrium Phalereum, qui a Quintiliano ultimus ex Atticis orator vocatur, praeclarissimam in Aesopi historiolis colligendis operam navasse testis est Laertius Diogenes[3]). Ita factum est, ut Graecorum fabellae ad Alexandrinos translatae commiscerentur cum apologis Aegyptiorum et Judaeorum.

---

[1]) II, c. 20.

[2]) cf. Platon. Phaed. p. 61. b. Plutarch. de aud. poet. p. 16 c. Avian. praef. Suid. s. v. Σωκράτης.

[3]) V, 80. 81.

De Babrio, principe apologorum poeta, ita distant philologorum sententiae, ut haud inutilis esse haec dissertatio videatur, etiamsi tam difficile opus me suscepisse me non fugit, ut timeam, ne non sufficiant vires meae ad quaestiones persolvendas.

I.

Postquam haud exiguus Babrii apologorum numerus anno millesimo octingentesimo quadragesimo a Minoide ex codice Athoo in lucem prolatus est, illustrissimi philologorum, ut Lachmannus, Bergkius, Schneidewinus, Crusius, alii summo cum ardore multum operae laborisque in Babrium contulere. Extant autem nunc quidem duo libri huius fabulatoris centum viginti tres apologos continentes litterarum ordine dispositos. Quod mutilatus est alter libellus, cum desiderentur fabulae iam post litteram o, valde lugendum est. Liceat autem iam hoc loco, priusquam porro procedamus, Suidae testimonium afferre:

Βαβρίας ἢ Βάβριος· μύθους ἤτοι μυθιάμβους. εἰσὶ γὰρ διὰ χωλιάμβων ἐν βιβλίοις ί. οὗτος ἐκ τῶν Αἰσωπείων μύθων μετέβαλεν ἀπὸ τῆς αὐτῶν λογοποιίας εἰς ἔμμετρα, ἤγουν δὲ χωλιάμβους.

Avianus[1]) dicit, qui floruisse videtur exeunte saeculo quarto: „fabulas Aesopi . . ., quas Graecis iambis Babrius repetens in duo volumina coartavit.“ Babrii autem apologos, ut nunc quidem leguntur, litterarum seriem sequi iam antea commemoratum est. Putasne Babrium apologos ita composuisse, ut in excogitandis fabellis aut conscribendis sequeretur tam ridiculum consilium apologorum conserendorum? Adde, quod in florilegiis saltem ordo alphabeticus vix ante Byzantinorum tempora reperitur[2]). Putasne fieri potuisse, ut Babrius, qui fabulas composuit, ut ita dicam, in usum Delphini, Brancho, puerulo educando, praeberet fabulam illam centesimam decimam sextam[3]), omnium foedissimam, quae est de muliere adultrice? Equidem mihi persuasi genuinos Babrii libros decem iam ante Avianum ab insipiente quodam viro esse coartatos verumque librorum numerum a Suida ex vetustiore scriptore haustum.

---

[1]) cf. praef.

[2]) cf. Diels, deutsche Litteraturzeitung 1881. p. 750. et quae a Crusio, Warnkrossio, etc. de paroemiographis disputata sunt.

[3]) spuriam eam existimaverunt Fix, Hertzberg, Schenkl, alii.

II.

Quae cum ita sint, cavendum mihi videtur de Babrii aetate exquisituro, ne hac in re proficiscar ex sermonis proprietate, qua sunt fabulae Babrianae, cum tali divinandi ratione non tam de Babrii aetate, quam de Graeculi illius temporibus certior fierem, qui invitis musis Babrii apologos compressit plurimasque, quae nunc extant, affabulationes adiecit. Tamen etiam in iis apologis, qui nobis traduntur, insunt nonnulla, quae ab illo epitomatore servata spectent ad genuinum fabularum auctorem. Cuius de aetate mirum est quantum discrepent philologorum sententiae. Tyrwhittius enim et Crusius Babrium fuisse aequalem Alexandri Severi imperatoris, Bergkius et Wagener floruisse aiunt saeculo ante Christum natum quarto. Cui quaestioni eos potissimum, qui argumentandi initium fecerunt ab Alexandro rege, cuius filium Babrius edocere studet, tenebras obduxisse recte monet Bernhardyus, cum frequentissimum sit apud Seleucidas Alexandri regis nomen[1]).

Videamus igitur, quae sint argumenta ex apologis ipsis hausta, quibus nitantur coniecturae de Babrii aetate factae, tum qui sint scriptores recentiores, qui poetae aut mentionem fecerint aut usum.

III.

Itaque imprimis utrumque Babrii prooemium nobis tractandum videtur. Legitur autem:

Γενεὴ δικαίων ἦν τὸ πρῶτον ἀνθρώπων,
ὦ Βράγχε τέκνον, ἦν καλοῦσι χρυσείην. . . .
μάθοις δ' ἂν οὕτω ταῦτ' ἔχοντα καὶ γνοίης
ἐκ τοῦ σοφοῦ γέροντος ἡμῖν Αἰσώπου
μύθους φράσαντος τῆς ἐλευθέρας μούσης.
ὧν νῦν ἕκαστον, ἂν θέλῃς, ἐνὶ μνήμῃ
μελισταγές σοι, λῶστε, κηρίον θήσω
πικρῶν ἰάμβων σκληρὰ κῶλα θηλύνας.

---

[1]) Gutschmidtius (Fleck. ann. 1863. p. 323.) Branchi patrem fuisse iudicat Alexandrum Theopatorem Euergeten, Lachmannus Alexandrum, Alexandri Herodis filii nepotem, regem Issiadis a Vespasiano constitutum.

Quanta dictionis suavitate Babrius usus sit, perspicitur iam ex his versibus, quibus fabulator more patris Branchum discipulum alloquitur. Poeta igitur quinque hominum aetates enumerat, quarum prima cunctis animalibus atque rebus inanimis vox humana concessa sit; talique ratione verisimilius fore audientibus Babrius sperat, quod bestiae in fabulis utuntur hominum sermone. Adhortatur autem puerum, ut harum fabularum unamquamque memoriae mandet, praesertim cum eas poeta suaviores reddat per versus choliambicos amaritudine vacantes, qua superfluebant, ut exemplo utar, Archilochi fabellae. Babrii igitur apologi non ad adversarios perstringendos sunt facti, sed ad homines et corrigendos et delectandos.

IV.

Legamus nunc alterum prooemium, quo initium fit libri secundi:

Μῦθος μέν, ὦ παῖ βασιλέως Ἀλεξάνδρου,
Σύρων παλαιόν ἐστιν εὕρεμ' ἀνθρώπων,
οἳ πρίν ποτ' ἦσαν ἐπὶ Νίνου τε καὶ Βήλου·
πρῶτος δέ, φασίν, εἶπε παισὶν Ἑλλήνων
Αἴσωπος ὁ σοφός, εἶπε καὶ Λιβυστίνοις
λόγους Κιβύσσης. ἀλλ' ἐγὼ νέῃ μούσῃ
δίδωμι φαλάρῳ χρυσέῳ χαλινώσας
τὸν μυθίαμβον ὥσπερ ἵππον ὁπλίτην.
ὑπ' ἐμοῦ δὲ πρώτου τῆς θύρης ἀνοιχθείσης
εἰσῆλθον ἄλλοι καὶ σοφωτέρης μούσης
γρίφοις ὁμοίας ἐκφέρουσι ποιήσεις
μαθόντες οὐδὲν πλεῖον ἢ γεγωνίσκειν.
ἐγὼ δὲ λευκῇ μυθιάζομαι ῥήσει
καὶ τῶν ἰάμβων τοὺς ὀδόντας οὐ θήγω.
ἀλλ' εὖ πυρώσας, εὖ δὲ κέντρα πρηύνας
ἐκ δευτέρου σοι τήνδε βίβλον ἀείδω.

Quod fabula Syrorum antiquorum dicitur inventum, sunt, qui Babrium fuisse credant natione Syrum. Lachmannus autem in Syriae et Ciliciae confiniis Babrium fabellas Alexandri filio composuisse conicit. Initium vero huius prooemii memorabile videtur, quod hoc loco coniectura fit de fabulis a viris orientis solis ad Graecos translatis. Tunc autem Babrius nova se musa fabulam iambicam canere confitetur:

ἀλλ' ἐγὼ νέῃ μούσῃ
δίδωμι φαλάρῳ χρυσέῳ χαλινώσας
τὸν μυθίαμβον ὥσπερ ἵππον ὁπλίτην.

Ac recte quidem Babrius artem suam esse novam declarat, quod primus Aesopi fabulas, quibus, postquam lyricorum poetarum veterum carmina defecerunt, praecipue oratores utebantur ad vulgi favorem sibi conciliandum, acerbitate antiquorum apologorum lenita composuit choliambis. Nec desunt, qui Babrium floruisse ante Callimachum Alexandrinum sentiant, quem choliambis fecisse apologos nemo neget. Sed iacet haec opinio, quia Callimachus fabellas non ut peculiare poësis genus tractat, sed veterum poetarum more carminibus innectit. E Babrii autem verbis ἐκ δευτέρου τήνδε βίβλον ἀείδω sine dubio poetam hoc opus denuo pertractatum emisisse apparet. Itaque id quidem constare mihi videtur duas a poeta apologorum editiones esse paratas, quarum prooemia usque ad hunc diem integra supersunt. Non enim illud ἐκ δευτέρου τήνδε βίβλον ἀείδω spectare mihi videtur ad unum libellum iterum emendatum, sed ad totum Babrii apologorum thesaurum, cum antea ipse profiteatur:

ὑπ ἐμοῦ δὲ πρώτου τῆς θύρης ἀνοιχθείσης
εἰσῆλθον ἄλλοι καὶ σοφωτέρης μούσης
γρίφοις ὁμοίας ἐκφέρουσι ποιήσεις
μαθόντες οὐδὲν πλεῖον ἢ γεγωνίσκειν.

unde sequitur, ut Babrii apologorum iam primum editorum extiterint imitatores. Quid interfuerit inter Babrii exemplaria, nunc quidem satis perspici non potest, cum haud verisimile sit alterum nullo certo consilio, alterum litterarum ordine esse dispositum. Addendum est, quod Babrii fabula, quae servatur a Tzetze[1]), in codice montis Atho desideratur, ut ea aut ex eo thesauro, qui nunc restat, sub littera γ excidisse aut ex priore Babrii editione, cuius alia vestigia fere omnia evanuerunt, hausta esse putanda sit.

---

[1]) chiliad. 13, 255:

Γάλλοις ἀγύρταις εἰς τὸ κοινὸν ἐπράθη
ὄνος τις οὐκ εὔμοιρος, ἀλλὰ δυσδαίμων etc.

V.

Quoniam ex utroque fabularum prooemio Babrium semper usum esse choliambis pernoscitur, haud dubium mihi videtur, quin ea apologorum fragmenta, quae restant iambis, hexametris, elegis conscripta, Babriana esse negandum sit[1]). Primum enim fabularum Babrii iambicarum, non claudarum fragmentum ab omnibus fere editoribus affertur illud Suidae:

νῦν δὲ σωθείην, ἵνα
ἦ μοι δίδαγμα τοῦτο τοῦ λοιποῦ χρόνου.

Gaisfordius, ut ex iis iambis fiant choliambi, verba ita disponere non dubitavit:

νῦν δὲ σωθείην,
δίδαγμ' ἵν' ἦ μοι τοῦτο τοῦ χρόνου λοιποῦ.

Sed accuratius nunc videamus, qui factum sit, ut talia tribuerentur Babrio. Suidas autem haec dicit: παρὰ τὸν μῦθον εἴρηται τοῦτο τῆς μανθανούσης χελώνης ἅπτασθαι παρὰ τοῦ ἀετοῦ καὶ πεσούσης. Babrii igitur nomen hoc loco sumptum esse coniectura quadam liquet, cum Suidas nihil dicat de eius apologi auctore. Rectius tamen Suidas illud fragmentum hausisse putandus est ex fabulatore quodam, qui Babrium imitatus apologos conscripserat iambis. Talique ratione iudicandum est de fabularum hexametris compositarum reliquiis a Knochio, Eberhardio, aliis Babrio vindicatis, quas meo quidem iudicio protulit Suidas ex corpore quodam fabularum, quod inscriptum est Μυθικά. Neque enim Lachmanni coniectura probanda videtur, qui eas apologorum reliquias, quae apud Suidam leguntur hexametris iambisque scripta, superesse putet ex illis fabulis obscura oratione compositis, quarum auctores a Babrio vituperentur his verbis:

ὑπ' ἐμοῦ δὲ πρώτου τῆς θύρης ἀνοιχθείσης
εἰσῆλθον ἄλλοι καὶ σοφωτέρης μούσης
γρίφοις ὁμοίας ἐκφέρουσι ποιήσεις
μαθόντες οὐδὲν πλεῖον ἢ γεγωνίσκειν.

---

[1]) Nuperrime fragmentum haud dubie ex fabella, quae erat de ranis regem petentibus, decerptum in lucem prodiit, quod Babrii esse conicit Weilius. cf. revue des études grecques, 1890. p. 309. Sed quia perierunt versuum exitus, de fragmenti auctore nihil potest diiudicari.

etiamsi fieri potuisse concedam, ut nonnullae illorum Babrii imitatorum fabellae quamvis mutatae in Suidae thesauro, qui inscriptus est Μυθικά, servarentur. Id enim tenendum est Babrium nullis aliis versibus apologos finxisse nisi choliambis, imitatores tamen Babrii fabulas saepenumero transfudisse in versus dactylicos iambicosque.

VI.

Nunc autem Babrii exemplaria, quibus Suidas et scriba codicis Athoi sunt usi, accuratius nobis describenda sunt. Ac Suidam quidem Babrii libros non seorsim in uno codice conscriptos manibus tenuisse, sed fabellarum corpus quoddam undique collectarum iam antea dictum est. Leguntur enim apud Suidam sub articulo ἑταιρεία hi versus:

θέντο μετ᾽ ἀλλήλοισιν ἑταιρείην μύε δοιώ
οὐ καθ᾽ ὁμὰ ζώοντες. ὁ μὲν κατὰ νειὸν ἐρήμην
ἔτρεφεθ᾽, ὃς δὲ δόμοισιν ἐν ἀφνειῶν τρέφετ᾽ ἀνδρῶν.

Aliis tamen locis Suidas ad eundem apologum non hexametris, sed iustis choliambis respicit velut sub voce σωράκους et sub voce κρίμνον. Quare haec apologi fragmenta ita dirimenda sunt, ut eos versus, quos citavimus, a Babrio abiudicemus, quippe quem choliambis fabulam illam de muribus condidisse constet, neque conicere dubito in Suidae thesauro utramque fuisse eiusdem apologi formam. Quodque apud Suidam Babrii nomen utrique additum invenitur, vitio non Suidae, sed viro cuidam male sedulo vertendum est, qui cum huius modi argumentum fabulas inter Babrianas legisset, Babrii nomen adscribere non dubitaret illis hexametris.

Nunc ad aliam Babrii fabulam animum convertamus neque a Suida neque a codicis Athoi librario recte apteque enarratam. A Suida enim sub articulo πίθηκος referuntur hi versus:

κερδὼ πιθήκῳ φησιν· „ἦν ὁρᾷς στήλην,
ἐμοὶ πατρώη τ᾽ ἐστὶ κἄτι παππώη.“

et a codice A:

κερδὼ πιθήκῳ φησίν· „ἦν ὁρᾷς στήλην,
ἐμὴ πατρώα τ᾽ ἐστὶ κἀμὴ παππώα.“
κερδοῖ πίθηκος εἶπεν· „ὡς θέλεις, ψεύδου
ἔλεγχον οὐκ ἔχουσα τῆς ἀληθείης.“

Cui talia legenti non Archilochi illud venit in mentem?

ἐρέω τιν' ὑμῖν αἶνον, ὦ Κηρυκίδη,
ἀχνυμένη σκυτάλη.
πίθηκος ἦει θηρίων ἀποκριθείς
μοῦνος ἀν' ἐσχατιήν.
τῷ δ' ἄρ' ἀλώπηξ κερδαλῆ συνήντετο
πυκνὸν ἔχουσα νόον.

Ex pedestri autem paraphrasi codicis Augustani, quae apud Halmium nro. 43. legitur, manifestum est prima illa Babrii verba:

ἦν ὁρᾷς στήλην,
ἐμοὶ πατρώη τ' ἐστί etc.

non vulpis esse sed simii. Quare idem error et in codice Athoo et in Suidae exemplari fuisse videtur. Hemistichiorum enim sedes ea re turbata est, quod prima tertii versus pars: κερδὼ πιθήκῳ φησίν male transposita est in primum stichum primaque contra primi versus pars in tertium stichum. Ex tali autem librarii cuiusdam negligentia id quidem conici potest, cum idem vitium et apud Suidam[1]) et in codice A. legatur, utriusque textum manasse ex uno eodemque archetypo, qui paulatim temporum iniquitate foede turbatus est. Babrii enim fabulae in scholis multum lectae atque explicatae usu cotidiano discipulorum ita terebantur, ut verba poetae non solum corruptelarum sordibus abundarent, sed etiam decurtarentur et interpolarentur.

Restat, ut quam brevissime inquiramus, utrum ea, quam habuit Suidas, recensio an Athoana in Babrii apologis purgandis praeferenda sit. Id enim singulis argumentis comprobare supervacaneum videtur Suidam fabulas Babrii non e codice Athoo descripsisse. Utque certum fiat iudicium de fide utriusque recensionis, nonnullos locos comparare sat est, unde, utrius lectio sit recipienda, appareat[2]).

Legitur autem:

1. apud Suidam s. a. ἀμᾷ:

νῦν ἐστιν ὄντως, παῖδες, ἐκ τόπων φεύγειν,
ὅτ' αὐτὸς ἀμᾷ κ' οὐ φίλοισι πιστεύει.

[1]) Neque negligendum est, quod Rutherfordius Suidiana non ex uno exemplari fluxisse posuit, qua de re non audeo facere iudicium, quia deesse videtur certa firmaque norma, qua Suidae exemplaria Babriana possint seiungi.

[2]) cf. Babr. ed. Rutherford. London. 1883. p. 53.

in codice A. (fab. 88, 18.):

νῦν ἐστιν ὥρη, παῖδες, ἀλλοχοῦ φεύγειν,
ὅτ' αὐτὸς αὑτῷ κ' οὐ φίλοισι πιστεύει.

Aviani verba (ed. Lachmann. fab. 21, 14.):

nunc, ait, o miseri, dilecta relinquite rura,
cum spem de propriis viribus ille petit.

nullo fere sunt momento.

2. apud Suidam s. a. σπῆλυγξ et ἀσθμαίνων:

κοιώσω σπήλυγγος, οἵατις νούσῳ
κάμνων ἐβέβλητ' οὐκ ἀληθὲς ἀσθμαίνων.

in codice A.:

κοίλης ἔσω σπήλυγγος ὡς νόσῳ κάμνων
ἐκεῖτο δόλιον οὐκ ἀληθὲς ἀσθμαίνων.

Paululum consistamus. Quae apud Suidam legitur, forma νοῦσος est Jonica, quali utitur Homerus et Hesiodus. In codice A. autem haud raro formae, quae propriae sunt sermonis Ionici, ita mutatae sunt, ut sermo vulgaris, qui dicitur, restitutus esse videatur. Quare cum e voce νούσῳ scriptori codicis A. sive librario eius exemplaris, quod secutus est scriptor codicis A., forma νόσῳ facienda videretur, totus versus varias metri causa perpessus est mutationes[1]). Tamen Suidae quoque exemplar talibus in rebus minima fuisse auctoritate videmus, cum non semper formae serventur Ionicae. In universum quidem Suidae fons meliores praebere videtur lectiones Athoo, ita tamen, ut nonnumquam rectas afferre codicem A. libenter concedam. Athoum autem exemplar in scholarum usum emendatum esse videtur, quoniam hoc in codice fere ubique rariora vocabula frequentioribus expulsa sunt, ut

---

[1]) Eadem corruptela extat apud Semonidem cf. frg. 1, 12:

τοὺς δὲ δύστηνοι νόσοι
φθείρουσι θνητῶν.

ubi Dielsium sequor emendantem:

τοὺς δὲ δύστηνοι νέους
φθείρουσι νοῦσοι.

Illud θνητῶν enim haud dubie ab interprete quodam versui nono adscriptum, ut explicaretur: ὅστις οὐ δοκεῖ etc., (cf. Stobaei cod. A.: φθείρουσι βροτῶν θνητῶν) e margine in versum decimum tertium irrepsisse videtur, postquam e νέους factum est νόσοι.

in fab. 94. στόματος legitur pro φάρυγος,
„ „ 122. ἀναιδείης „ „ ἀνίης,
„ „ 32. κλίνης „ „ κοίτης,
„ „ 95. σάρκας „ „ ἔγκατα c. c.

Talique modo fabellarum ordo in codice A., qui sequitur seriem litterarum, non a Babrio ipso profectus esse mihi videtur, sed a ludi quodam magistro, qui insuper haud raro apologis stultissime affixit epimythia.

VII.

Iam vero accedamus ad aliam rem. A multis enim philologis Babrium fuisse hominem Romanum contenditur, quae opinio ex ea re orta esse mihi videtur, quod in codice A. invenitur:

Βαλεβρίου μυθίαμβοι Αἰσώπειοι κατὰ στοιχεῖον·
στίχοι χωλιαμβικοί.

et in codice Harleiano, qui Babrii fabularum paraphrases, ut ita dicam, praebet:

Βαβρίου
Βαλερίου χωριαμβικοὶ στίχοι ἐκ τῶν Αἰσώπου μύθων.

Quare multi inducti alias praeterea causas, de quibus postea disputabimus, quaerebant, unde Babrium fuisse Romanum cognosci posset.

Ac primum quidem e nomine, quod legitur in codicibus A. et H., praesertim cum a Tzetze Babrii vel Babriae nomen tradatur, quod propter metrum corrigi non possit, nihil concludi posse mihi videtur. Quid enim mirum? Facillime enim e ΒΑΒΡΙΟΥ fieri poterat ΒΑΛΕΡΙΟΥ, quod mendum a manuscripti correctore, ut erat mos, ita videmus deletum, ut verum nomen Βαβρίου supra versum scriptum suo loco depelleretur. Quo factum est, ut postea appellaretur poeta Valerius Babrius. Quodque exhibet codex Harleianus Βαλερίου, non esse Valerium e codice A. elucet praebente Βαλεβρίου, quod corruptum esse e Βαλε[ρίου Βα]βρίου neque Crusius[1]) neque Rutherfordius mihi persuaserunt. Ita enim rem cogitandam esse censuisse videntur, ut per syllabarum similitudinem librarius oculis deceptus a -ρίου aberraret ad -βρίου.

[1]) Leipz. Studien 1879. p. 192.

VIII.

Tum a multis, quod Babrii nomen iuvenitur in titulis Latinis, Babrium fuisse Romanum conicitur. Sed ex ea re non sequitur, ut Babrium fuisse vernaculum Romanorum nomen gentile putemus, quia fieri poterat, ut a Graecis transferretur ad Italos, praesertim cum Babrii nomen plerumque fuisse libertinis constet, sed omnino non usitatum, quoniam aliter explicari non potest, quomodo de nomine poetae orta sit controversia. Babrium enim dicit Avianus, Babriam Tzetzes, utramque formam exhibet Suidas, Chabrium Apostolius, Γαβρίου Ἕλληνος τετράστιχα codex Harleianus. Bergkius autem nominis originem indidem ducit, unde βαβράζειν, id est vociferari[1]).

Crusius autem, quamquam labori non pepercit, ut Babrium fuisse stirpe Romana demonstraret, tamen hac in re oleum perdidisse mihi videtur. Docet enim poetam fuisse Romanum et floruisse tertio post Chr. n. saeculo ineunte. Quid? Babrius nonne elato animo ipse confitetur:

ἀλλ᾽ ἐγὼ νέῃ μούσῃ
δίδωμι φαλάρῳ χρυσέῳ χαλινώσας
τὸν μυθίαμβον ὥσπερ ἵππον ὁπλίτην.
ὑπ᾽ ἐμοῦ δὲ πρώτου τῆς θύρης ἀνοιχθείσης
εἰσῆλθον ἄλλοι etc.

Itaque Crusio sumendum est Babrium, si fuerit origine Romanus, consulto celare Phaedrum, qui floruit temporibus Augusti, ne laudes a Babrio quaesitae ab illo libertino deminuantur, qua de re ne Byzantini quidem litteratores hariolabantur, aut Babrium, virum Romanum, cum scriberet fabulas Graecas, Romanorum praeclarissimum fabulatorem sibi praetermittendum esse putavisse[2]), quae res haud verisimilis videtur, quod non dubitandum est,

---

[1]) cf. Platonis fabulam de cicadis narratam (Phaedr. p. 259. Aes. fab. 399. e. Halm.).

[2]) Nec Babrium a Phaedro nec Phaedrum a Babrio esse inspectum facillimum est comprobare, sed utrumque e simili, ne dicam, e communi fonte hausisse. Quod Seneca ad Polyb. de consol. 27. scribit: non audeo te usque eo perducere, ut fabellas quoque et Aesopeos logos, intemptatum Romanis ingeniis opus, solita tibi venustate conectas, non mirum est, cum Phaedrus Senecae non fuisse videatur ingenio vere Romano.

quin poeta, si fuisset Romanus, laudem generis cuiusdam fabularum inventi suo populo haudquaquam erepturus fuerit. Neque enim Babrius tam inflato uteretur animo, si nulla alia re palmam petivisset, nisi quod fabulas iam antea expolitas primus composuisset choliambis. Quae si ita sunt, fieri non potest, ut Crusio fidem habeamus Babrium fuisse natione Romanum, qui floruisset saeculo post Chr. n. tertio.

IX.

Iam vero reliquas causas eorum perlustremus, qui Babrium fuisse Romanum natione[1]) demonstrare conantur. Cui opinioni stabile fundamentum condi putabant choliamborum legibus, quas Babrius Romanorum artem metricam secutus sibi imposuisset. Quare denuo hae res mihi perquirendae videntur, etiamsi nuperrime a Maximiliano Fico[2]) summa industria, sed non semper sano iudicio sunt tractatae. Valde autem mirandum est, quod ad choliamborum Graecorum rationem pernoscendam ab omnibus tituli sunt neglecti. Itaque meum esse inscriptiones choliambicas congerere arbitratus hoc loco conscribam, quotcumque multis libellis dispersas colligere mihi contigit, ut sint quasi additamentum eius Meinekii libri, qui est de Graecorum poësis choliambicae reliquiis.

Restant igitur hi tituli choliambici:

1.[3]) Σωτηρίχαν με τύμβος ἐνθάδε, ξεῖνε,
οὗτος καλύπτει. ὡς γὰρ ἤθελεν δαίμων
τρὶς δέκα παρασχὼν ἔτεά μοι μόνον ζῆσαι.

2.[4]) Ὁ κλεινὸς ἴνις βασιλέων Ἀμάζασπος
ὁ Μιθριδάτου βασιλέως κασίγνητος·

---

[1]) Frequentissime Romanos quoque fabellas adhibuisse constat cf. Enn. apud Gell. n. Att. 2, 29. Lucil. fr. 778. Horat. sat. 2, 6, 77. epist. I, 1, 73. 3, 19. 7, 29. 10, 34. 17, 50. art. poet. 139. Ovid. fast. 4, 700. Plaut. Rud. V, 2, 39. Liv. 2, 32. Juven. I, 2, 63. e. c.

[2]) apud Rossbachium et Westphalium, Metrik d. Gr. 3, 2. p. 820. e. s.; eiusdem dissertationem, quam se confecturum de Babrii aetate promisit, frustra desideravi.

[3]) cf. Kaibel. epigr. e. l. coll. nro. 276.

[4]) cf. Kaibel. nro. 549. Meineke, Gr. poës. chol. rel. p. 173.

ᾧ γαῖα πατρὶς Κασπίας παρὰ κλῄθρας,
Ἴβηρ Ἴβηρος ἐνθαδὶ τετάρχυται
πόλιν παρ' ἱρήν, ἣν ἔδειμε Νικάτωρ
ἐλαιόθηλον ἀμφὶ Μυγδόνος νᾶμα.
θάνεν δ' ὀπαδὸς Αὐσόνων ἀγητῆρι.
μολὼν ἄνακτι Παρθικὴν ἐφ' ὑσμίνην,
πρίν περ παλάξαι χεῖρα δηίῳ λύθρῳ,
ἴφθιμον αἰαῖ χεῖρα δουρὶ καὶ τόξῳ
καὶ φασγάνου κνώδοντι πεζὸς ἱππεύς τε.
ὁ δ' αὐτὸς ἶσος παρθένοισιν αἰδοίαις.

3.[1]) Ἀγαθῇ τύχῃ.

Ἡρωδιανὸς Νεικίου πατρὸς ἔστησεν
χαλκεῖον ἀνδριάντα πατρίδος ψήφῳ
γνώμης τε ἕκατι, μείλιχος γὰρ ἦν πᾶσιν,
τερπνῶν τε μείμων οὓς ἔγραψεν ἀστείως.

4.[2]) . . . . . ιων ἴχνος εἰ θέλεις γνῶναι
. . . . . ς τῇδε λαϊνῇ στήλῃ
. . . . . χρηστὸς ἐν φθιτοῖς ἀνήρ
. . . . . λέλοιπεν ἡλίου φέγγος
. . . . . ων μηδέπω τελειώσας
. . . . . κ]αὶ δέδοκτο(?) μοῦνος ἀνθρώπων
. . . . . ἀ]ρετῇ τοὺς ὁμήλικας προῦχεν
. . . . δί]καιος, θεοσεβής, φιλάνθρωπος,
. . . . . ἑτ]αίρων τὸν τεὸν μόρον κλαίει
. . . . μὲν ὄχλος οἰκετῶν σε δακρύει.
. . παν]τὶ δ' ἦσθα σεμνὸς ὡς δοκεῖν εἶναι.
. . . . ντα παῖδα τοῖς νοήμασιν πρέσβυν
. . . ον, ποθήτη μῆτερ, εὔνασον θρῆνον
πέ]νθους τιθηνὸν ὃς μάτην σε πημαίνει·
οὐδεὶς γὰρ ἐξήλυξε τὸν μίτον μοιρῶν,
οὐ θνητὸς, οὐκ ἀθάνατος, οὐδ' ὁ δεσμώτης,
οὐδ' αὖ τύραννος βασιλικὴν λαχὼν τιμήν
θεσμοὺς ἀτρέπτους διαφυγεῖν ποτ' ᾠήθη.
Φαέθοντα Τιτὰν οὐκ ἔκλαυσ', ὅτ' ἐκ δίφρων

---

[1]) cf. Monatsb. d. Berl. Ak. 1881. p. 441. bulletin de corr. hellén. 1881, V. p. 130; 1882, VI. p. 181. (II, 1878. p. 401.).

[2]) cf. revue archéolog. 1883. p. 195; 1880. p. 170.

ἀπ᾽ οὐρανοῦ κατέπεσεν εἰς πέδον γαίης;
Ἑρμῆς δ᾽ ὁ Μαίας οὐκ ἔκλαυσ᾽ ἑὸν παῖδα
Μυρτίλον ἀπὸ δίφρων κλύμασιν(?) φορούμενον(?);
οὐδ᾽ αὖ Θέτις τὸν σθεναρὸν ἔστενεν παῖδα,
ὅτ᾽ ἐκ βελέμνων θνῆσκε τῶν Ἀπόλλωνος;
ὁ δ᾽ αὖ βροτῶν τε καὶ θεῶν πάντων ἄναξ
Σαρπήδον᾽ οὐκ ἔκλαυσεν, οὐκ ἐκώκυσεν;
οὐδ᾽ αὖ Μακηδὼν ὁ βασιλεὺς Ἀλέξανδρος,
ὃν τίκτεν Ἄμμων θέμενος εἰς ὄψιν μορφήν,
. . . . . .

Ahrensius[1]) de re metrica optime meritus, etiamsi multi laudem legum Babrii metricarum detectarum detraxerunt editoribus Parisiensibus, dicit haec: „Memoratu dignum est, quas leges Babrius sibi scripserit in ultimo choliamborum pede. Primum raro in extremo versu admittit syllabas non natura longas. In longissima fabula nonagesima quinta, quae centum duo versus continet, semel (v. 101.) contra regulam peccatum est. Sed de hac lege nunc omitto accuratius quaerere."

Circiter septuagies Babrius ab hac norma discessit, quae exempla hoc modo dirimenda videantur. Saepissime -circiter quadragies- quod Babrius in extremo versu syllabas σθαι et ται et ναι admisit, non mirum est, praesertim cum antiquissimis temporibus eae syllabae longae fuisse videantur et accentum ponenti tantummodo corripiantur et ne hoc quidem in omnibus dialectis. Praeterea Babrius circiter vicies breves in ultima versuum sede syllabas sibi concessit, quibus consonantes ς aut ν finem faciant, neque ἐγκλιτικά hoc loco repudiavit, ut τοί-νυν, ᾗ-τις, ὥς-περ, πρός-θεν. Sed rarissime legitur in extremo versu syllaba, quae exeat in brevem vocalem, qui loci fere omnes etiam ob alias causas suspecti sunt[2]). Liceat nobis hanc legem apud reliquos Graecorum choliambographos persequi, praesertim cum eos choliambos, qui insunt titulis, ad hanc quaestionem illustrandam omnino non adhibitos esse videam. Neglexi autem in ea re eos poetas, quorum fragmenta tam parva sunt, ut ex iis nihil perspici possit.

---

[1]) de crasi et aphaeresi, 1845. p. 31.

[2]) cf. 106. 4. 107a, 3. 115, 4. 116, 3. 116, 2. et in fragmentis 131, 14. 142, 1. 131, 7. 143, 2. et in epimythiis 71, 12. 107a, 19. 65, 8.

Restant igitur:

Hipponactis choliambi[1]) 149, quorum exeunt in syllabas natura longas circ. 95 versus, in αῖ, οῖ, ς, ν et enclit. circ. 40, in brevem vocalem circ. 14.

Ananii choliambi 14, quorum exeunt in syllabas natura longas circ. 8 versus, in αῖ, οῖ, ς, ν et enclit. circ. 4, in brevem vocalem circ. 2.

Aeschrionis choliambi 16, quorum exeunt in syllabas natura longas circ. 7 versus, in αῖ, οῖ, ς, ν et enclit. circ. 6, in brevem vocalem circ. 3.

Phoenicis choliambi 50, quorum exeunt in syllabas natura longas circ. 29 versus, in αῖ, οῖ, ς, ν et enclit. circ. 18, in brevem vocalem circ. 3.

Callimachi choliambi 50, quorum exeunt in syllabas natura longas circ. 30 versus, in αῖ, οῖ, ς, ν et enclit. circ. 15, in brevem vocalem circ. 5.

tituli primi choliambi 3, quorum exeunt in syllabas natura longas 1 versus, in αῖ, οῖ, ς, ν et enclit. 1, in brevem vocalem 1.

tituli secundi choliambi 12, quorum exeunt in syllabas natura longas 6 versus, in αῖ, οῖ, ς, ν et enclit. 4, in brevem vocalem 2.

tituli tertii choliambi 4, quorum exeunt in syllabas natura longas

---

[1]) quo numero iam comprehenduntur tres versus in Choerobosci com. in Heph. ench. (Anecd. Studemundi I.):

1) p. 45, 14.: ἐκέλευε βάλλειν καὶ λεύειν (sic Hipponax, recita λέϝειν) Ἱππώνακτα.

2) p. 48, 10.: δοκέων ἐκεῖνον τῇ βακτηρίᾳ κόψαι (recita βατηρίᾳ).

3) ibid. 48, 12.: ἡμίεκτον (recita ἡμίετον) αἰτεῖ τοῦ φάλεω κολάψαι. quod Dielsius emendat: ἡμίεκτον αἰτεῖ· τοῦ φάλεω 'κκολάψειεν. Mercurius, quem stipem rogaverat, ut solet, poeta, loquitur: Semimodium me postulat; non habeo: e mentula mihi extundat. Praeterea Reitzensteinius (ind. schol. Rost. 1890/91. p. 7.) Hipponactis fragmento 33 unum versum addit:

τίς ὀμφαλητόμος σε τὸν διοπλῆγα
ἔψησε καπέλουσεν ἀσκαρίζοντα.

Libertatem, qua nonnumquam Hipponax usus syllabam cum litteris κτ compositam admisit pro brevi syllaba, illudit Rhintho hoc modo:

Ἱππώνακτος τὸ μέτρον — οὐδέν μοι μέλει.

cf. Voelker, Rhinth. fragm. p. 29.

2 versus, in αῐ, οῐ, ς, ν et enclit. 2, in brevem vocalem 0. tituli quarti choliambi 28, quorum exeunt in syllabas natura longas

14 versus, in αῐ, οῐ, ς, ν et enclit. 11, in brevem vocalem 3.

Vides igitur apud omnes choliambographos frequentissimas esse in ultima versuum sede longas syllabas easque, quae exeant in αῐ, οῐ, ν, ς, rarissimas eas, quae exeant in breves vocales. Quae cum ita sint, Babrius haud novam quandam legem invenisse videtur, sed secutus esse constantem Graecorum morem, ita tamen, ut fere omnes syllabas in brevem exeuntes vocalem expulisse videatur. Apud Romanos autem nullum huius normae vestigium invenitur. Nam

Catulli, qui restant, choliamborum 126 exeunt in brevem syllabam 65 versus.

Martialis libri primi inter choliambos 49 exeunt in brevem syllabam 24 versus.

Martialis libri duodecimi inter choliambos 75 exunt in brevem syllabam 39 versus.

Ceterum similem legem atque Babrius sequitur Nonnus et elegiaci antiquiores in pentametro extremo.

Pergit autem Ahrensius hoc modo: „Altera, quae rarissime violatur, haec est (scl. regula), ut paenultima versus syllaba accentum habeat.“ Ac primum quidem quod undecies pronomina ἡμεῖς et ὑμεῖς in ultima choliamborum sede collocata videmus, omnino non peccatum est, cum iam apud Homerum et Hesiodum formae ἧμεις et ὔμεις reiecto accentu inveniantur. Accedit, quod et in mediis versuum partibus Babrius, ubicumque his pronominibus utitur, retrahit accentum in syllabam primam[1]). Sed quotienscumque paenultima versuum syllaba accentum non habet, non dubium videtur, quin hi loci corrupti sint[2]). In epimythiis autem

---

[1]) cf. 1a, 15. 12, 12. 15, 14. 24, 5. 36, 12. 71, 7. 85, 9. 85, 13. 85, 14. 93, 9. 95, 30. 95, 80. 131, 2. e. c. (ἡμέων: 90, 2.); sed in versuum initio: ἡμεῖς cf. 36, 11. 128, 4.

[2]) cf. 12, 18. quem versum spurium ducunt Ahrensius, Bergkius, Eberhardius, alii. cf. 65, 1. Totum autem huius fabellae exordium mutilatum esse apparet e Suida s. v. γέρανος et ταὼς εὐπήλητος. cf. 73, 1. Apologus miserrime curtatus est. Schneidewinus et Bergkius non apte proponunt κλάγγα, Ahrensius κλαγγήν glossam genuini γῆρυν existimavit.

quamquam duo extant exempla huius legis laesae, tamen mihi quidem haud corrigenda videntur, quia ea epimythia sine dubio non a Babrio profecta sunt, sed ab epitomatore, qui tantam metrorum subtilitatem leviter curabat.

Hipponax circiter quinquagies hanc regulam neglexit; tamen premendum est, quod in amplioribus eius fragmentis[1]) haec lex servata videtur. Ananius autem quater (10:4), Aeschrio ter (12:3), Phoenix quinquies decies (35:15), scriptores epigrammatum undecies (47 : 11), Callimachus quinquies decies (22 : 15) eam laeserunt. Videmus igitur iterum Babrium non novam excogitasse normam, sed iam antea haud ignotam maxima cum severitate observasse. Nec mira videtur haec regula, sed hausta e choliamborum natura, quod consulto et violenter ultimo versuum pede ponitur pro iambo trochaeus spondeusve, quo fit, ut accentus quoque in paenultima syllaba quasi sua sponte considat. Tamen id quidem concedendum est Babrium tanta fuisse metrorum elegantia, ut quam saepissime pedum ictum faceret concinentem cum verborum accentu; compares velim iam primos Babrii versus:

Γενεὴ δικαίων ἦν τὸ πρῶτον ἀνθρώπων,
ὦ Βράγχε τέκνον, ἦν καλοῦσι χρυσείην.

Sed eam concordiam haud raro inesse iam antiquissimis et Graecorum et Romanorum iambis Corssenius[2]) comprobavit, ut apud Aristoph. av. 1.:

ὀρθὴν κελεύεις, ἦ τὸ δένδρον φαίνεται.

ran. 2. et. 3.:

ἐφ' οἷς ἀεὶ γελῶσιν οἱ θεώμενοι,
οὐκ οἶδ'. ὁ δ' ὦμος οὑτοσὶ πιέζεται.

et apud Plaut. Amph. prol. 50.:

nunc quam rem ornatam huc veni, primum proloquar,
post argumentum huius eloquar tragoediae.
Quid contraxistis frontem? quia tragoediam e. c.

et Catull. c. 4.:

Phaselus ille, quem videtis, hospites,
ait fuisse navium celerrimus etc.

[1]) cf. nr. 34; 57; 26; 6.

[2]) Aussprache und Vocalismus der lat. Sprache p. 406. etc.

Babrius autem his versibus ita abundat, ut consulto pedum ictum cum verborum accentu conexuisse videatur[1]).

Inter Babrii versus 1425, qui nobis traditi sunt, circiter 84 ita percussi sunt, ut pedum ictus congruat cum verborum accentu. Apud Hipponactem, ex quo circiter 150 versus restant, tales versus leguntur septem[2]). Utut res se habet, id quidem negandum est Babrii artem metricam comparari posse cum Byzantinorum versibus politicis, qui nulla alia ratione contineantur quam syllabarum numero. Nempe versus, qui vocantur politici, duodecim syllabis compositi sunt, ita tamen, ut paenultima quaeque habeat accentum. Crusius autem dactylicos illos poetas, quorum caput est Nonnus, comparandos adhibet, cum similem versuum concludendorum rationem secuti sint atque Babrius. Sed hac ex re nihil conici potest, cum et Crusius ipse Babrium a Nonno recedere confiteatur, quod μέν, δέ, γάρ, alias particulas apud poetas dactylicos, qui quinto post Chr. n. saeculo floruerunt, hoc loco frequentissimas non admiserit in exitum et Nonnum Babrii fabulas hexametris imitatum esse inter omnes constet.

Sed ad alias res metricas procedamus, unde Babrium non Romanorum, sed Graecorum choliambographos quamvis sua usum ratione adhibuisse appareat.

De spondeorum usu apud Romanos Caesius Bassus haec dicit: „hic scazon pessimus erit, pui habuerit alium quinto loco quam iambum; quo tamen sine religione usus est Hipponax"; quam rem Lucianus Muellerus (de re metr. poet. latin. p. 149.) ita explicat: „[in Romanorum scazontibus] ultimo spondeo antecedere iambum vel pueris notum, hanc normam apud Latinos iam ab initio inde servarunt Catullus et aequales excepto, ut videtur, Varrone. praeterea ultima aetate Boethio post annos DC redintegrari Varronis licentiam tam certum quam mirum est." Babrius autem non raro spondeum in quinto pede habet[3]).

---

[1]) cf. 2, 6. 3, 10. 5, 6. 7, 6. 11, 4. 11, 5. 12, 6. 14, 3. 15, 4. 17, 6. 18, 8. 19, 7. 29, 4. 31, 9. 32, 3. 33, 24. 34, 8. 34, 9. 34, 11. 37, 10. 38, 5. 38, 6. 43, 4. 43, 6. e. c.

[2]) cf. 1, 3. 13, 2. 22, 6. 46, 3. 57, 4. 58, 1. 85.

[3]) cf. 22, 9. 39, 4. 45, 3. 53, 4. 70, 6. etc.

Nec minus anapaestorum copia recessit a Romanis, quo factum est, ut multi Babrii editores leges metricas Romanorum Babrium sibi imposuisse arbitrati anapaestos excepta prima versuum sede e Babrii apologis expellere conarentur[1]). Ut exemplis utar, legitur et in cod. A. et apud Suidam (fab. 10, 12.): κεχόλωμαι; correxit Eberhardius κοταίνω, Meinekius χολοῦμαι. cf. fab. 22, 12. Cod. A. praebet:

ἔθηκαν ἑκάστη τῶν τριχῶν ἀποσπῶσαι.

Mihi quidem, cum altero pede ferendos esse anapaestos usu Babriano comprobetur (cf. fab. 57, 6. 69, 2. 75, 6. 75, 15. 76, 12. 88, 8. 88, 17. etc.), scribendum videtur, quia desideratur nomen eius, qui fit nudus capillis:

ἔθηκαν ἐραστήν etc.

cf. paraphr. Halm. 56.: γέροντα ἐραστὴν ἔχειν τὰς πολιὰς αὐτοῦ ἀπέσπα, Nauckio (Mus. Rhen. 6, 630.):

ἔθηκ', ἀν' ἑκάστην τῶν τριχῶν ἀποσπῶσα.

Anapaestum apud Hipponactem esse inauditum Crusius dicit, quamquam legimus hos versus:

Κριτίης ὁ Χῖος ἐν τῷ κατωπτικῷ δούλῳ.

et ὁ Κιθαίρων Λυδίοισιν ἐν χοροῖς βάκχων.

Etiamsi primas horum versuum sedes non esse certae formae concedendum est, tamen hoc loco respiciendum videtur ad Tzetzem haec dicentem[2]): δέχονται καὶ . . . τὸν ἀνάπαιστον, ὡς ὁ Ἱππῶναξ et ad certissimum fragmentum (cf. p. 15.):

ἐκέλευε βάλλειν καὶ λεύειν Ἱππώνακτα.

falsumque est Hephaestionis testimonium: τὸ δὲ χωλὸν οὐ δέχεται . . . οὔτε δάκτυλον οὔτε τρίβραχυν οὔτε ἀνάπαιστον, cum saepius dactylos et tribrachos iam ab Hipponacte adhiberi nemo neget[3]).

---

[1]) Ceterum quod a Crusio ex usu monosyllaborum in fine versuum adhibitorum conicitur, mihi quidem falsum videtur. Etenim apud Babrium ut apud Hipponactem, Callimachum, alios numquam hoc loco monosyllaba leguntur, apud Romanos tamen non semper vitantur, etiamsi saepe coalescunt cum syllaba antecedente. cf. Catull. c. 39, 20. 44, 2. etc.

[2]) apud Cramer. an. Ox. 3. p. 308.

[3]) cf. frg. 9. 11. 12. Phoenic. frg. 1, 3. cf. Priscian. de metr. comp. p. 418. ed. Gaisf.

Qua Hephaestionis perversa opinione factum esse mihi videtur, ut Meinekius anapaestos ex Hipponactis fragmentis eicere studeret.

Quare Babrium cum omnino non fuisse imitatorem choliambographorum Romanorum videamus, ex eius arte metrica fuisse natione Romanum conicere non licet.

Quod denique a Crusio vestigia quaedam e Babrii genere dicendi conferuntur, unde Babrium fuisse Romanum appareat, ea profecta esse non ex fabulatore ipso, sed ex usu tritissimo, quo poeta a magistris et pueris in scholis mediae aetatis pertractabatur, veri simillimum est. Liceat autem illa apud Babrium sermonis Romanorum vestigia a Zachariaeo[1]), Crusio, aliis collecta denuo perlustrare.

Λιβυστῖνοι cf. prooem. 2, 5:

codex A. exhibet λίβυς τινός, emendavit Schneidewinus Λιβυστῖνοι; itaque lubrica esse haec Crusii coniectura videtur, cum nulla alia re nitatur, nisi Schneidewini emendatione. Quamquam Λιβυστῖνοι apud veteres Graecorum scriptores non leguntur — leguntur Λίβυες et Λιβυκοί — tamen simili ratione sunt Καρῖνοι et Καρικοί. Primum quidem inveniuntur Libystini apud Catullum[2]). Macrobius autem Apollinem Libystinum a Siculis cultum esse auctor est. Quare veri simillimum est Catullum Alexandrinum quendam poetam, fortasse Callimachum, secutum hanc formam e Graecis transtulisse ad Romanos. Accedit, quod teste Stephano Byzantio[3]) Λίβυες idem erant ac Λιβυστῖνοι, ut, ni fallor, metri causa Babrius hac forma, si vera atque genuina est, usus esse possit videri.

ὕλαι pluralem:

Babrius sexies adhibuit, tamen singulari numero non abstinuit[4]). Apud antiquissimos scriptores Graecos pluralem vocis ὕλη frustra quaesivi, repperi tamen iam apud Aristotelem[5]), saepissime apud posteriores, ut apud Dionys. Halic. de Thuc. 6, Plut. Parall. 21, Dionys. Perierg. 1127, Orph. Arg. 672. et 681, Aelian.

---

[1]) de dictione Babriana, diss. Goett. 1875.

[2]) 60, 1: montibus Libystinis.

[3]) p. 415.

[4]) 12, 14. 23, 1. 43, 11. 45, 7. 46, 1. 76, 6. 90, 1. (129, 6).

[5]) Metaph. M. 9, 1085. b.

h. a. 7, 2. p. 153, 13, Luc. var. hist. 1, 10, Dionys. Halic. de Thuc. 6, Herodian. 8, 12. 7, 2, 8. et 10. Videmus igitur usum pluralis ὕλαι ab Aristotele fieri frequentiorem, unde concludi non potest Babrium pendere ex sermone Romanorum.

ἠιόνα ξύων 6, 1.:

quod Crusio aliisque simillimum illi Vergilii voci litora radendi videtur, tantum abest, ut profectum esse e lingua Latina concedam, ut contra vocabulum esse vere Graecum putem ex piscatorum usu petitum, ut Britanni de everriculo dicunt „to shave".

Ceterum Avianus hos apologi Babriani versus ita imitatus est:

Piscator solitus praedam suspendere saeta
exigui piscis vile trahebat onus.

et Babrii paraphrasta: ἁλιεὺς καθελὶς τὸ ὀίκτυον ἀνήνεγκε μαινίδα.

ἐπέχειν 26, 5. 50, 11:

Babrius bis verbum ἐπέχειν simplex ita usurpavit, ut alii dixerunt ὀφθαλμόν vel διάνοιαν vel γνώμην ἐπέχειν τινί.

Romani autem dicere solent: animum advertere vel animadvertere vel advertere[1]). Ille Babrii usus non Graecorum esse videbatur Crusio. Sed confer Herodot. 6, 96: ἐπὶ Νάξῳ ἐπεῖχον στρατεύεσθαι οἱ Πέρσαι et 1, 153. 1, 80, Thucyd. 2, 81: οὐτ' ἐπέσχον τὸ στρατόπεδον καταλαβεῖν.

συνεζήκει 106, 10:

cod. A. exhibet: μεθ' ἧς τὰ πολλὰ μειλίχως συνεζήτει.

Iterum igitur incertum est fundamentum. Sed concedamus Babrium scripsisse συνεζήκει. Quamquam hoc loco συζῆν non idem significat, quod συνδειπνεῖν, sed ζῆν μετά τινος. De συζῆν iam quarto saeculo creberrimo cf. Plat. Polit. p. 302. B, Dem. p. 330, 2. etc. Aristot. eth. 4, 12. 13. 8, 6. rhet. 2, 14. etc. Babrius autem adamat verba cum συν composita, ut συγγέρων[2]) i. e. senectutis socius, quod, ni fallor, a Babrio inventum a nullo nisi ab Eustathio[3]) recipitur. Atque seiungendum esse συγγέρων a consenescendi similitudine nemo negabit[4]). Ceterum non desunt, qui fabulam 106. mala

[1]) cf. Cic. ad fam. 1, 1. etc.
[2]) fab. 22, 7.
[3]) p. 306, 34.
[4]) de usu Babriano praepositionis σύν cf. Rutherf. p. 183.

fraude Babrio esse suppositam censeant. Quare Hartungium laudo illum locum ita vertentem: „Mit dem er manche Stunden traulich hinbrachte“ [1]).

πνεῦμα 112, 8:

ὥς μου κατέλθῃ πνεῦμ᾽ ἀναλγὲς εἰς Ἅιδου·

πνεῦμα pro ψυχή abhorrere a Graecorum consuetudine Crusio videtur. Tamen non procul distant Eurip. Suppl. 533: ἀπῆλθε πνεῦμα μὲν πρὸς αἰθέρα, τὸ σῶμα δ᾽ ἐς γῆν. Hec. 571: ἀφῆκε πνεῦμα θανασίμῳ σφαγῇ etc.

X.

Videmus probandum non esse, quod Crusius conicit Babrium fuisse hominem Romanum. Sed ne plus temporis consumam ad hanc sententiam refellendam, certum, ut mihi quidem videtur, afferam argumentum, unde appareat Babrium non in Italia, sed in Aegypto vitam degisse. Extat enim Babrii apologus [2]), quo Juppiter aves convocasse narratur, ut omnium pulcherrimae traderet regnum. Coracis autem, quae pennis ab aliis ereptis exornata principatum petiverat, dolo cognito hi versus a poeta adiciuntur:

ὁ Ζεὺς δ᾽ ἐθάμβει καὶ παρεῖχε τὴν νίκην,
εἰ μὴ χελιδὼν αὐτόν, ὡς Ἀθηναίη,
ἤλεγξεν ἑλκύσασα τὸ πτερὸν πρώτη.
ὁ δ᾽ εἶπεν αὐτῇ· „μή με συκοφαντήσῃς.“
τὸν δ᾽ ἆρα τρυγὼν ἐσπάρασσε καὶ κίχλη
καὶ κίσσα καὶ κορυδαλὸς οὐν τάφοις τρίζων
χὠ νηπίων δ᾽ ἔφεδρος ὀρνέων ἴρηξ
τά τ᾽ ἄλλ᾽ ὁμοίως. καὶ κολοιὸς ἐγνώσθη.

Quid? Pavo, Junonis celeberrima volucris, omittitur, quae et apud Graecos et apud Romanos permagni aestimabatur? Itaque omnino non dubitandum est, quin Babrius, si in Italia aut in Graecia floruisset, hoc loco pavonem nominaturus fuerit. Ex illo autem Hehnii libro praestantissimo [3]), qui inscribitur „Kulturpflanzen und Haustiere“, pavonem discimus ignotum fuisse Aegyptiis,

---

[1]) cf. Babr. fab. 115, 3. et 30.

[2]) nro. 72.

[3]) p. 290.

unde sequitur, ut Babrius vixisse putandus sit in Aegypto. Iuvatque Phaedri fabulam[1]) de cornice alienis pennis exornata comparare cum illo Babrii apologo neque mirum est, quod apud Phaedrum graculus superbus pennas pavoni, quae deciderant, sustulit; nempe Phaedrum fabellas conscripsisse Romae constat. Aesopi autem, qui fertur, fabula haec est: Τῶν ὀρνέων βουλευσαμένων περὶ βασιλείας ταὼς ἠξίου ἑαυτὸν χειροτονεῖσθαι βασιλέα διὰ τὸ κάλλος. ὁρμωμένων δὲ ἐπὶ τοῦτο τῶν ὀρνέων κολοιὸς εἶπεν· „ἀλλ' ἐὰν σοῦ βασιλεύοντος ὁ ἀετὸς ἡμᾶς διώκῃ, πῶς ἡμῖν ἐπαρκέσεις;“

Ceterum non opponendum videtur, quod fab. 65. pavo a Babrio citatur, quia eum apologum spurium esse Rutherfordius recte monuit, neque multum tribuendum est Suidae testimonio, cuius e fragmento sub voce γέρανος servato, quantum distet fabula Athoa, intelligatur, praesertim cum iam supra non omnes fabulas a Suida Babrio addictas esse genuinas certiores facti simus.

XI.

Nunc breviter dicam, quid mihi videatur de Babrii aetate. Ac primum quidem poeta non eo utitur dicendi genere, ut certo aetas possit circumscribi. Itaque Zachariaeus in eam adducitur sententiam, ut ipse confiteatur: „Quamquam multa in his (scl. Babrii) fabulis insunt, quae etiam serius tempus monstrant, tamen eo, quod iam Dositheus Magister et Julianus Babrium noverunt, impedimur, ne eum tertio saeculo vel seriori aevo assignemus.“ Itaque ex rebus ipsis termini aetatis Babrii, quantum res ipsae sufficiunt, exquirendi videntur. Ac primum quidem haud dubium est, quin Babrius ante Dositheum, qui floruit tertio post Chr. n. saeculo, apologos confecerit, cum ab eo citetur. Kellerus[2]) autem Babrium dies illas tristissimas vidisse putat, quibus Achaeorum foedus una cum omnium Graecorum libertate gloriosissime periret, cum non sit dubitandum, quin ad illa tempora respiciat haec Babrii fabula[3]):

Κυσίν ποτ' ἔχθρα καὶ λύκοις συνειστήκει etc.

---

[1]) fab. 1, 3.

[2]) Fleck. Jahrb. Suppl. IV. p. 386. e. s.

[3]) fab. 85.

Quod ab omnibus Achaeus canis eligatur dux, cuius generis virtutes a nullo veterum scriptore nisi a Babrio commemorentur, haud dubie significari praeclarissimum illud Achaeorum bellum, in quod Babrii aetas incidere putanda sit. Quod Kelleri iudicium temere nimiumque festinanter dictum esse et Eberhardio et mihi videtur. Iidem enim Achaeorum canes a Polluce[1]) praedicantur: Γενναῖοι κύνες Λακωνικαί, Λάκαιναι, Ἀρκάδες, Ἀργολίδες . . . οἱ δὲ κύνες οἱ Ψυλλικοὶ καλούμενοι ἀπὸ πόλεως Ἀχαϊκῆς κέκληνται. Tum, etiamsi concederetur describi illo apologo Achaeorum bellum, tamen inde nihil aliud concluderetur nisi Babrium post id tempus floruisse, sed, quot annis post illud bellum vixerit, ex hac fabella omnino non cognoscitur. Facile enim Babrius apologum non ex suopte ingenio, sed ex alio quodam fabulatore haurire poterat.

Sed recedamus ad ea, quae a Crusio de Babrii aetate temptantur. Dicit enim poetam floruisse imperatore Alexandro Severo. Ac primum quidem Crusio, etiamsi ipse ab ullo scriptore filium Severo fuisse tradi negat, tamen verisimile videtur discipulum fuisse filium Alexandri Severi[2]), quippe quem omnino non fuisse mulierum osorem constet. Sed in tanto scriptorum illius aetatis numero fieri potuisse putas, ut imperatorius filius tantis obscuraretur nubibus, ut nemini notus sit nisi Boissonadio et Crusio? Accedunt praeterea maiores difficultates, quibus Crusius oppressus ut naufragus frustra laboret. Constat enim Dositheum in usum puerorum Graecorum Latinam linguam discentium Hygini genealogiam Graece et Latine descripsisse anno p. Chr. n. 207., quo anno ipse pater Alexander puerulus erat duorum annorum. Itaque Crusius eos Babrii apologos, quos Dositheus in suum libellum recepit, haustos esse ex priore Babrii editione arbitratur triginta circiter annis ante alteram in lucem missa. Quae si ita

---

[1]) 5, 37.

[2]) Nunc quidem Crusius cf. Wochenschrift für klass. Philol. 1891. p. 619. e. s. a Babrio appellari dicit Branchum deum, ex quo Chilonem esse natum Aristagoras Milesius testetur, velut Chilonis et Aesopi aemulum. Ut alia praetermittam, quae huic opinioni adversantur, haud dubie illud ὦ Βράγχε τέκνον Crusii sententiae obstat.

sunt, Crusio concedendum est Branchum et Alexandri filium non eosdem fuisse. At tamen verba Babrii ipsa:

ἐκ δευτέρου σοι τήνδε βίβλον ἀείδω

dubitationem non habent, quin eidem et prior et altera fabularum editio a Babrio sint dedicatae; illud enim ἐκ δευτέρου nihil aliud significare atque voculam iterum comprobatur fab. 114, 5. et fab. 95, 101. Nec felicius a Crusio fieri potuisse contenditur, ut poeta, priusquam apologos collectos edidisset, pauculos aliquos publici iuris faceret vel amicis impertiret. Etenim Babrius filio Alexandri Severi fabellas non ante annum 235. mittere poterat, cum filius imperatorius neque ante annum 225. natus et, quo tempore librum accepit dedicatum, eo circa ad aetatem decem annorum provectus esse censendus sit. Quae si ita essent, Babrius apologos fere per triginta annos repositos servasse putandus est. Sed quo consilio motus? Quia fabulae egebant lima? Minime, cum toto Babrii thesauro insit unus idemque orationis stilus.

Qua re me iudice nil impedit, quominus Carolo Lachmanno astipulantes Babrium floruisse censeamus primo post Chr. n. saeculo[1]). Quisnam fuerit ille Alexander, meo quidem arbitrio vix umquam certo poterit cognosci, nisi novis titulis repertis id aenigma erit solutum.

---

[1]) etiamsi me non fugit eos versus, qui ab Apollonio sophista (in lexico Homerico p. 10, 13.) traduntur, propter ultimi pedis accentum a Babrio esse abiudicandos.

De Herodae choliambis.

Fortuna studiis meis Babrianis favere videtur, cum Herodae mimiambis paucos ante dies quasi ab inferis in lucem revocatis eis rebus, quas animi quadam divinatione de Babrii choliambis suspicatus sum, nunc certissima additur fides stabileque fundamentum. Neque tamen harum rerum diiudicandarum difficultates diminutae, sed auctae videntur, quia Herodae versus nuperrime a Kenyone e papyro Aegyptio descripti — Rutherfordii editio vix digna videtur, quae citetur — temporum iniquitate ingenti mendarum et lacunarum numero maculati sunt, quarum partem Blassius et Crusius sanare studebant. In tot tantisque errandi periculis versato Dielsius mihi opitulatus nec tempori nec labori pepercit, ut, quae ipse ingeniose ad mimiambos pernoscendos vel emendandos excogitavit, ea mecum communicaret.

Restant Herodae versus 598 integri, quorum exeunt in syllabas natura longas 327, in αῖ, οῖ, ς, ν etc. 199, in vocales breves 72, ut manifestum sit Herodam ut ceteros Graecorum choliambographos in ultima versuum sede raro sibi concessisse syllabas exeuntes in brevem vocalem, quas Babrium hoc loco omnino vitasse constat. Neque aliter altera, quae dicitur, Babrii regula sese habet: in paenultima versuum sede considit accentus; quam normam Herodas ita secutus est, ut eam quadringenties tricies quinquies servaret, violaret centies sexagies ter. Quae cum ita sint, quod antea ex choliamborum reliquiis Babrium non novas artis metricae leges invenisse conieci sed iam ante haud ignotas excoluisse et singulari cum severitate observasse, Herodae carminibus luce clarius comprobatur. Quod saepissime Herodas ut Babrius pronominibus ἡμεῖς, ὑμεῖς etc. in ultima versuum sede utitur, nunc non mirum

videatur. Uterque enim, ubicumque ea adhibet, retrahit accentum in primam syllabam excepto versuum initio.

Caesio Basso teste hic scazon pessimus est, qui habet alium quinto loco pedem quam iambum, quo tamen sine religione usus est Hipponax. Babrium autem hoc loco non raro spondeum admisisse iam antea commemoratum est. Apud Herodam non nisi integros versus numerantibus circiter vicies in quinto pede occurrit spondeus, ut mimiamborum poeta fere ubique notissimam illam normam servasse videatur.

Procedamus nunc ad anapaestorum usum. Invenitur enim apud Herodam prima sede septies cf. 4, 5. 4, 6. 4, 9. 5, 1. 5, 13. 5, 31. 7, 57., secunda semel cf. 2, 79: σὺ μὲν ἴσως[1]), tertia numquam. Quarto autem loco bis traditur anapaestus cf. 6, 55., ubi non μακαρῖτις, sed μακάριος scribendum esse conicio, et cf. 2, 31: πόλιος καλυπτῆρες, ubi litterae i tenuitate exonerari anapaestum apparet, cf. v. 4, 72., ubi eadem ratione anapaestus quinto in pede expeditur. Ita fit, ut Herodam nullo loco anapaestos legitimos sibi concessisse putemus nisi primo atque secundo. Nec minus severe utitur Herodas dactylis. Leguntur enim nusquam nisi prima sede (sexies decies: 1, 33. 2, 26. 2, 40. 2, 42. 2, 56. 2, 88. 3, 44. 3, 93. 4, 20. 4, 81. 4, 91. 4, 93. 4, 94. 6, 57. 7, 58. 7, 61.) et tertia (ter decies: 1, 9. 1, 28. 1, 30. 4, 19. 5, 53. 6, 24. 6, 67. 6, 74. 6, 92. 7, 5. 7, 60. 7, 128. 7, 129.). Tribrachys adhibetur primo loco ter, secundo ter decies, tertio quinquies, quarto ter.

---

[1]) Apud Herodam semper scribendum esse ἶσος, non ἴσος ex Jadis norma patet et confirmatur v. 1, 53. cf. 2, 32. 2, 79. 3, 93. 7, 27. Accedunt duo versus, quibus altera sede anapaestum inesse verisimillimum sit, cum legendum videatur:

3, 7: δ'ἔτι αἱ ἀστραγαλαι, Λαμπρίσκε — συμφορῆς δ'ἤδη etc. et

3, 19:, αἱ δορκαλίδες δέ etc.

BERLINER BUCHDRUCKEREI-ACTIEN-GESELLSCHAFT, SETZERINNEN-SCHULE DES LETTE-VEREINS

VERLAG VON S. CALVARY & Co. IN BERLIN.

JAHRESBERICHT

über die

Fortschritte der classischen Alterthumswissenschaft

begründet von **Conrad Bursian,**

herausgegeben von

Iwan Müller.

Mit den Beiblättern:

BIBLIOTHECA PHILOLOGICA CLASSICA

und

Biographisches Jahrbuch für Alterthumskunde.

Jährlich 4 Bände gr. 8. zu 20—30 Bogen (in 12 Heften zu 6—10 Bogen.)

Subscriptionspreis für 90 Bogen (12 Hefte) **30 Mark.**

Ladenpreis (nach Erscheinen des 1. Heftes) **36 Mark.**

Die erste Folge (Acht Jahrgänge in 25 Bänden), die Literatur der Jahre 1873–1880 umfassend und die zweite Folge (Band 26–65: die Literatur der Jahre 1881 bis 1890), werden zusammen bei Subscription auf Jahrgang I der dritten Folge (1891) zum Subscriptionspreise von 520 Mark abgegeben

Der Jahresbericht erscheint seit dem Jahre 1874 und verfolgt das Programm: auf dem sich immer mehr ausdehnenden Gebiete der classischen Sprach- und Alterthums-Forschung einen vollständigen Wegweiser zu bieten und ein möglichst objectives Bild dessen zu geben, was in den verschiedenen Zweigen dieser Wissenschaft innerhalb eines Jahres geleistet worden ist.

Bibliotheca philologica classica.

Verzeichniss der auf dem Gebiete der classischen Alterthumswissenschaft erschienenen Bücher, Zeitschriften, Dissertationen, Programm-Abhandlungen, Aufsätze in Zeitschriften und Recensionen.

Jahrgang 1—18. 1874—1891.

Preis des Jahrganges von 4 Heften (zusammen ca. 25 Bogen gr. 8.) **6 Mark.**

Die Bibliotheca philologica classica ist das einzige Verzeichniss, welches die sämmtlichen auf dem Gebiete der classischen Alterthumswissenschaft erscheinenden Werke aller Literaturen systematisch verzeichnet. Bei schnellem Erscheinen gewährt diese Zeitschrift dem Fachmanne die genaueste Einsicht in die Bewegung und Fortbildung der Wissenschaft und ergänzt somit den Jahresbericht in bibliographischer Hinsicht.

Biographisches Jahrbuch für Alterthumskunde

begründet von **Conrad Bursian,**

herausgegeben von

Iwan Müller.

Erster bis Zwölfter Jahrgang: 1878—1889. 54 Mark.

Vorzugspreis bei Abnahme eines vollständigen Exemplars und Subscription auf die Fortsetzung 39 Mark.

Das biographische Jahrbuch bringt Nekrologe der verstorbenen Philologen und Alterthumsforscher nach authentischen Quellen.

BERLINER PHILOLOGISCHE WOCHENSCHRIFT.

herausgegeben von

Ch. Belger und O. Seyffert.

Wöchentlich 2 Bogen roy.-8. Abonnementspreis 6 Mark vierteljährlich.

Jahrgang I—XI, Oktober 1881—December 1891 werden mit 150 Mark abgegeben.

Diese Zeitschrift ist bestimmt, für den Philologen ein Central-Organ auf allen Gebieten der Alterthumskunde zu bilden und ihn mit den Fortschritten der Wissenschaft möglichst schnell und vollständig bekannt zu machen.

VERLAG VON S. CALVARY & CO. IN BERLIN.

Calvary's philologische und archaeologische Bibliothek.

Subscriptionspreis für den Band 1 M. 50 Pf. Einzelpreis 2 Mark.

I. Serie. 15 Bände und ein Supplementband.

Band 1: **Wolf, F. A., Prolegomena ad Homerum.** Cum notis ineditis I manuelis Bekkeri. Editio secunda cui accedunt partis secundae pro gomenorum quae supersunt ex Wolfii manuscriptis eruta. Einzelpreis 2 Ma

Band 2—6: **Müller, K. O., Kunstarchaeologische Werke.** Erste Gesam ausgabe. 5 Bände. Einzelpreis 10 Mark.

Band 7—15: **Niebuhr, B. G., Römische Geschichte.** Neue Ausgabe von M. Isl 3 Bde. in 9 Theilen. Einzelpreis (einschliessl. d. Registerbandes) 18 Ma

Supplementband: **Register zu Niebuhr's Römischer Geschichte.**

Der Supplementband wird den Abnehmern der ersten Serie 1 M. 50 Pf. berechnet, einzeln 2 Mark.

II. Serie. 18 Bände.

Band 16—20: **Dobree, P. P., Adversaria critica.** Editio in Germania pri cum praefatione Guilelmi Wagneri. 2 Bände in 6 Theilen. Einzelpreis 12

Band 21—24: **Bentley, R., Dissertation upon the letters of Phalaris and ot critical works** with introduction and notes by W. Wagner. Ein Band 4 Theilen. Einzelpreis 8 Mark.

Band 25: **Dobree, P. P., Observationes Aristophaneae.** Edidit illustr G. Wagner. Einzelpreis 1 M. 50 Pf.

Band 26—31, 33 u. 48: **Humboldt, W. v., Ueber die Verschiedenheit des mens lichen Sprachbaues.** Mit erläuternden Anmerkungen u. Excursen A. F. Pott. 2. Aufl. Mit Nachträgen von A. F. Pott u. einem systematisc u. alphabetischen Register von A. Vanicek. 2 Bde. in 8 Thl. Einzelpr. 1

III. Serie. 15 Bände und ein Supplementband.

Band 32 u. 43: **Hudemann, E. E., Geschichte des römischen Postwe während der Kaiserzeit.** Zweite durch Nachträge, eine Inhalts-Angabe, Regist. u. eine Strassenkarte d. römisch. Reich. vermehrte Aufl. Einzelpr.

Band 34—42: **Becker, A. W., Charikles.** Bilder altgriechischer Sitte, genaueren Kenntniss des griechischen Privatlebens. Neu bearbeitet H' Göll. 3 Bände in 9 Theilen. Einzelpreis 18 Mark.

Band 44—47: **Rangabé, A. R., Précis d'une histoire de la Littérature hellénique.** 4 Bde. Einzelpreis 8 Mark

Supplementband: **Müller, Lucian, Friedrich Ritschl.** Eine wissensch liche Biographie. 2. Aufl. Einzelpreis 3 Mark.

IV. und V. Serie. ca. 35 Bände.

Band 49—55. 74—78. 86 u. ff.: **Reisig, K., Vorlesungen über lateinische Spr wissenschaft.** 1. Theil: Etymologie, neu bearbeitet von H. Hagen, 3 Einzelpreis 6 M. 2. Theil: Semasiologie, neu bearbeitet von H degen. 2 Bde. Einzelpreis 4 Mark. 3. Theil: Syntax, neu bearb von J. H. Schmalz und G. Landgraf. 9 Bände. Einzelpreis 18 M Register von G. Landgraf. Einzelpreis 2 Mark.

Band 56—61. 72. 2. Hälfte 73. 79/80. **Meier, M. H. E. und G. F. Schoem Der attische Process.** Neu bearbeitet von J. H. Lipsius. 2 Bänd 10 Thln. Einzelpreis 20 Mark.

Band 62—70. **Becker, A. W., Gallus oder römische Scenen aus der Augusts.** Zur genaueren Kenntniss des römischen Privatlebens. Neu arbeitet von H. Göll. 9 Bände. Einzelpreis 18 Mark.

Band 71—72. 1. Hälfte. **Ussing, J. L., Erziehung und Jugendunterrich den Griechen und Römern.** Neue Bearbeitung. Einzelpreis 3 Mark.

VI. und VII. Serie. ca. 32 Bände.

Band 81—85. 89 u. ff. **Holm, A., Griechische Geschichte** von ihrem Urspr bis zum Untergange der Selbständigkeit Griechenlands. ca. 20 B Einzelpreis ca. 40 Mark.

In Vorbereitung befinden sich:

Movers, F. K., Die Phönizier. Neu bearbeitet von J. Krall. — **Reimann, H., Lehrbuch der griechischen und römischen Metrik. — R. W phal, Lehrbuch einer allgemeinen Metrik.** u. A.

Wegen der Fortsetzung behalten wir uns Mittheilung vor.

BERLINER BUCHDRUCKEREI-ACTIEN-GESELLSCHAFT, SETZERINNEN-SCHULE DES LETTE-VEREINS

PA
3941
Z5W4
1892

Werner, Julius
Quaestiones babrianae

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY